Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 331
Quelle:
Copyright:

et ſuccedit *Tobias*, tum prolixa ex *Joſepho* narratio *De exidio urbis ieroſolimorum*, quae ſic inchoat:

Nero ſtupens fremuit quod uictus ceſſit hebreis
Ceſtius. et titulos hoſtica pugna tulit &c.

et cui *fol.* 140. gravis in *Judaeos* inſerta eſt *Philippica* hoc exordio:

Qualiter es decepta tuis urbs inclita natis
Quos tua fouerunt ubera lacte ſacro &c.

Hinc ſequitur *Job* et *Canticum Cant.* ſed verſu hexametro, ita, ut bini ſint pene ſemper ὁμιοτελευτοι. Initium utrique, ut *Trithemio:*

Librum iob moyſi. quidam attribuere magiſtri
Eius ut auctori. ſed opinio falſa ſiniſtri &c.
Solus origenes cum doctos uicerit omnes
In libris alijs. tamen in libro ſalomonis &c.

Dein *Daniel* rurſus Carmine elegiaco, cui inſerta eſt p. 185. *Hiſtoria Suſannae*, quae, ut notavi, jam ſupra etiam p. 91. occurrit. *Danielem* excipit ἀνεπιγραφως *Judith*, ad cujus calcem minio legitur: *Explicit vetus teſtamentum Incipit nouum teſtamentum.* Atqui partem *Hiſtoriae Evangelicae* jam p. 104. indicavimus. Non exigua itaque in hoc Exemplo regnat confuſio. Repetitur enim illa hic ab ovo, praemiſſo tamen 27. Diſtichor. Prooemio, de quo nihil *Trithemius* et *Leyſerus:*

Poſt legem ueterem reſpira petre. refulget
Lex noua. fac uerſus de nouitate nouos &c.

Totum hoc Prooemium in explicanda IV. *Evangeliſtarum* differentia, myſticoque *Adtributorum*, quae illis addi ſolent, ſenſu verſatur. Narratio ipſa ex omnibus IV. et *Fl. Joſepho* delibata eſt, ducto a *Luca* initio; *Paſſio* tamen ita orditur:

Juxta matheum domini ſacra paſſio noſtri &c.

Carmen in laudem B. V. de quo ſupra,

Arca columba noe fuit hec moyſi rubus aaron &c.

ha-